Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626

Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

et ydolum et cetera. Pastorem ydolum appellat qui honorem et venationem erigit a subditis, quem vult dici sanctior quam sit, vel ante quam sit. Et omnes qui huiusmodi pastorem colunt pro terreno commodo vel humano emolumento, sicut et ipse ydolum est, ita et ipsi sunt ydolatre. Ex his dictis manifestum est colligere in tempore beati Thome multa fuisse ydola et ydolatras multos, multos deos et multos dominos et multos ydolorum venatores. Et licet adhuc multi sint, multi tamen per merita beati Thome esse desierunt. Ad pervertendam et adnullandam hanc ydolorum culturam, qua labefactari multos cognovimus, et ad fidei opera confirmanda et resarcienda miracula erant necessaria. Sed et imminens ecclesie persecutio prorupit, contra quam passio beatissimi martiris Thome et fides ecclesie roborata auxilium miraculorum elicuit et impetravit e celo. Que maior perfectio esse potuit quam ipsum patrem ecclesie pro veritate et iusticia in ipsa ecclesia occumbere? Si caput perit, quomodo membra secuti sunt? Cuius caput alterius abscidens manum vel pedem nutet? Sed alie persecutiones ecclesie multe et varie exposite sunt supra, quas longum hic esset repetere. Ad quas cessandas et evacuandas dignatus est dominus Ihesus Christus prescriptum martirem suum Thomam signis et miraculis tempora nostra illustrare. De quibus in sequentibus plenius disseremus.

PASSIONEM ergo beatissimi Thome non potuit mundus tacere, quia quamvis homines silerent, saxa et lapides clamarent. Audita autem primo fama tante nequicie non cito credidit scelus quod horruit, donec testes testibus succedentes rem detestabilem factam lamentabiliter indicaverunt. Vulgare proverbium est raro falsum esse quod a multis canitur. Eodem die passionis beati Thome quidam de Cantuariensi ecclesia mare adierunt, et ne iter eorum ab observatoribus portuum intercluderetur, statim transfretaverunt, rem nefandam et inauditam in nostro tempore, immo in aliquo tempore, felicissimo pape Alexandro indicaturi. Quorum iter ita prospere a domino directum est per prescriptum martirem Thomam, ut ne unam quidem in itinere molestiam sustinerent. Sed nec defuerant ministri zabuli, qui passioni ipsius insultantes et quasi congratulantes victorie regis Anglorum Henrici in Normannia tunc agentis, rem ut acta erat victoriose referebant. Quod prefatus rex rem ut facta erat suspicatus, infamiam nequicie et proditionis archiepiscopi in suggillationem persone sue et in obprobrium posteritatis sue redundare cognovit. Quod quamvis, ut dicitur, ipse non preceperit, ipse tamen non prohibuisse, immo satellites suos ad hoc verbis exasperasse dinoscitur. Propter hanc vero causam vehementer indoluit, sicut David in morte Saulis vel interfectione Abner, alia tamen causa. David enim quia inimici occubuerunt; ipse quia mortem inimici, immo amicissimi sui, sibi novit imputari. Licet enim rex ei fuerit inimicus, ipse tamen regis intimus amicus erat. Et licet illis doloris alia et alia fuerit causa, similis tamen mesticia. Prefatus enim rex audita archiepiscopi famosa morte, cui pacem remeandi in Angliam indulserat, et quem in amiciciam sub testibus et sponsionibus acceperat, ita indoluit, quod rumorem hunc recitandi neque responsum dedit, neque in illa die cum aliquo colloquium habuit, sed in conclavi receptus usque ad vesperas cibum non sumpsit, et sicut David lugens filium suum Absalon, ita mente consternatus est. Sed recens dolor intensior solet esse in principio, processu vero temporis vires amittit. Infamia quoque insperata primo incutit timorem, diuturna vero et assueta contemptum. Iram, inquit poeta, atque animos a crimine sumunt. Sicut enim consuetudo altera est natura, usus mancipatio accipitur pro ratione. Stultorum consolatio est vetus consuetudo. Sapiens autem malam consuetudinem deprehensam mutat consilio. Sepedictus rex, quem in primordio necis archiepiscopi ita indoluisse diximus, instinctu pravorum hominum et quasi indecentia regis aut parum doluit, immo nichil, aut omnino dolorem dissimulavit. Portus enim maris et littora similiter observare precepit, ut nullus monachus, clericus, nec alia subiecta persona ab Anglia egrederetur, quo hoc facinus perpetratum Rome vel alibi propalaret. Mirum quoque nimium innotescere timens longius innotuit. Regem tamen ab hoc facinore excusare vellem, si infandos mortis auctores in regno suo non reciperet, si perversitates suas et castella ire non indulgeret, si in silvis suis et venationibus venari non permitteret, si eos non tueretur, si eos non defenderet. Quod fortassis fecit quia ipsos satellites amore suo vel timore cognovit fecisse quod fecerant. Quicumque tamen huius criminis notandus sit elogio, ipsum facinus nequicie factores et fautores iam quaquam versum innotuisse credimus.